



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

Toledo, Francisco de

Coloniæ Agrippinæ

28. Qui possint facere eleemosynam, & quando religiosi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

*Qui possint facere Eleemosynam, & quomodo
religiosi.*

CAPVT XXVIII.

Non omnes possunt facere Eleemosynas, vt habet S. Thomas, 2. 2. q. 32. art. 8. Nullus enim subditus, & inferior potest facere Eleemosynam de ea re, secundum quam subditus est alteri: potest quidem, si quid habet proprium, erogare in eleemosynam; tamen de re superioris non potest: vnde religiosi, vxores viuentibus, viris, filiis familias, famuli, serui non possunt facere eleemosynas, nisi in quatuor his casibus.

Primus, cum est extrema necessitas indigentis: quando enim aliquis laborat extrema necessitate, potest inferior eleemosynam facere de re superioris, etiam ipso nolente, vt habet Glos. 12. q. 1. can. non dicatur. quam sequitur communis Doctorum opinio.

Secundus, cum est grauis etiam necessitas indigentis alicuius; tamen tunc, si potest haberi facultas a superiore est habenda, vt habet Panorm. c. si quis, de furtis.

Tertio, cum ipse superior dat commissionem, & facultatem inferiori, vt possit erogare eleemosynam.

Quarto, cum inferior cognoscit de suo superiore, ipsum legatari, & sibi esse gratum, quod tales erogentur eleemosynae. His casibus potest quilibet subditus facere eleemosynam, de re superioris. At in particulari opus est ista discutere.

Religiosi enim, vtra praedictos communes casus, possunt in duobus eleemosynam facere.

Alter est, cum peregrinantur, vel iter faciunt: tunc enim de datis in propriam sustentationem, vel a Praelato, vel ab alijs facientibus eleemosynam, possunt etiam erogare indigentibus, vt habet Armil. ver. Eleemosyna, §. 5.

Alter est, cum cognoscunt superiorem suum gaudere de tali eleemosyna; & si ipse adesset, vtique facturum, vel facultatem daturum. Ita habet Syluest. ver. Eleemosyna, §. 5. At in alijs casibus, non licet eis. Idem dicendum, quando sunt extra conuentum suum, in studijs, vel vniuersitatibus commorantes: tunc enim possunt facere eleemosynam, ac si peregrinantes essent, vt habet Armil.